

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3183

Auteur(s) : Guillaume Ier, Ponthieu (comte)

Bénéficiaire(s) : Neufchâtel-en-Saosnois, Notre-Dame de Perseigne (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1145-1171, 30 juin]

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Confirmation par le comte Guillaume du don d'une maison à Alençon fait par Guillaume Cohorde et ses frères et sœur à Notre-Dame de Perseigne, et généralement de toutes les donations faites à cette église.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Fleury Gabriel, *Cartulaire de l'Abbaye cistercienne de Perseigne*, Mamers, Fleury et Dangin, 1880, n° XXVII, p. 71 et n° CCCLXI, p. 200.
- b. Brunel Clovis Félix, *Recueil des actes des comtes de Ponthieu (1026-1279)*, Paris, Imprimerie Nationale (Collection de documents inédits sur l'histoire de France), 1930, n° LXXXI, p. 119-120.

Dissertation critique

BRUNEL, p. 116, n. 1 : « Entre la fondation de l'abbaye de Perseigne (voir n° XXXII : SCRIPTA 3165) et la mort de Guillaume ».

Texte établi d'après b

Ego Vuillelmus, Pontivorum comes et Alenc[onii], notum facio tam presentibus quam futuris quod Vuillelmus Cohorde, Johannes et Robertus, fratres ejus, et Dyonisia, soror eorumdem, dederunt et concesserunt in elemosinam Deo et beate Marie de Persenia et monachis ibidem Deo servientibus et servituris habergamentum quod habent in villa Alenc[onii] cum suis pertinenciis, situm inter domum Galterii Guidonis et masuram Galterii del Doith, prout se extendit, usque ad Sartam et viam qua tendit ad molendinum dicte ville, quam elemosinam et omnes donationes concessas a me et ab omnibus aliis datas ipsis et concessas, cum omni jure, jurisdictione, districtu, clamore, dominio dominico, garena omnium animalium, justicia alta et bassa, et eciam plenaria, et cum omni alia exactione seculari, libere, pacifice, integre et honorifice eisdem in perpetuum possidendas concedo, nichil mihi nec heredibus meis in dicta abbatia aut in menbris, locis et pertinenciis suis, vel in omnibus rebus et singulis premissorum, nisi divinam renumerationem tantummodo, retinendo. Et quia omnia que data sunt nomine Salvatoris semper debent omnes Christi fideles perfecte, integre et fideliter observare, et ideo volo et firmiter precipio quod carte et privilegia dicte abbatie, cum omnibus rebus clausis in ipsis contentis et singulis ipsorum, sine diminutione firmiter observentur, absque molestia a me et heredibus meis vel eorumdem alocatis de cetero facienda, et si aliqua ex parte heredum meorum aut ipsorum monachorum vel successorum suorum contra jura vel privilegia dicte abbatie acta fuerint aut eciam actentata, quod ipsis monachis vel ipsorum causam habentibus vel habituris nullum prejudic[ium] generetur ; nec volo quod heredibus meis actentatio illa aliquid proficiat nec ipsis monachis noceat in futurum. Et ad m[ajo]rem confirmationem, ex propria manu mea super altare dicte abbatie posui presentem cartam sigilli mei munimine

ro[bora]tam, et de omnibus rebus ad dictam abbatiam pertinentibus et ad omnia alia dependencia eorundem omnino me desse[ivi], reddendo gratias Jhesu Christo, et de premissis omnibus sessivi venerabilem amicum nostrum fratrem Herardum, primum abbatem abbacie dicti loci, sub custodia, manu et protectione nobilium principum meorum ac tuitione sancte matris Ecclesie et honore. Testibus hiis : primo ejusdem loci conventu ; venerabili abbate Radulfo Sancti Andree ; Rad. Sanson ; Roberto Corel ; Vuillelmo Pag, et Johanne, fratre ejus ; Matheo et Bernardo, capellanis meis, et multis aliis.